

suscipientes, illuminati sunt, ait: *Audiendo ergo praecepta Dei, illuminati non sunt: faciendo, illuminati sunt, quia scriptum est: Non audiores legis tuis sunt apud Deum, sed factores legis iustificabuntur.* Quisquis ergo vult audita intelligere, festinet ea, quae iam audire potuit, opere implere. Ecce Dominus non est cognitus, dum loqueretur, et dignatus est cognosci, dum poscitur. Hospitalitatem ergo fratres charissimi diligite: charitatis opera amale; hinc enim per Paulum dicitur: *Charitas fraternitatis maneat in vobis: et hospitalitatem nolite oblivisci, per hanc enim plauerunt quidam angelis hospitio receptis.* Hinc Petrus ait: *Hospitales invicem sine murmuratione.* Hinc ipsa veritas ait: *Hospes fui, et suscepisti me.* Pensate fratres quanta hospitalitatis virtus sit: ad mensa vestras Christum suscepit, ut vos ab eo suscipi ad convivia aeterna valeatis. Praebete modo peregrino Christo hospitium, ut vos in iudicio, non quasi peregrinos nesciat, sed ut proprios recipiat ad regnum; haec ille.

Sanctus Augustinus (de verb. Dom. serm. 23. in Luc.): *Agnoscite, inquit, hospitalitatem, per quam perventum est ad Dominum: suscepit hospitem, cuius et tu es comes in via, quia omnes peregrini sumus.* Ipse est christianus, qui et in domo sua, et in patria sua peregrinum se esse cognoscit. Patria nostra sursum est, ibi hospites non erimus: nam unusquisque hic, et in domo sua hospes est; si non est hospes, non inde transeat; haec enim d. Augustinus.

Divus Hieronymus (in epist. ad Tit. cap. 1) scribit: *Episcopi domus omnium commune debet esse hospitium: laicus enim unus, aut duos, aut plures recipiens, implebit hospitalitatis officium, Episcopus nisi omnes recipiat, inhumanus ab eo scribitur.* Hospitalitas vero, quam Dominus remuneraturum se esse asseruit, illa est intelligenda, quae membris Christi, tecto videlicet indigentibus, et diversas necessitates patientibus exhibetur. Proinde studendum summopere Episcopis est, ut cum hospitalitatem subditis habendam praedicant, ipsi eam ante omnes primum factis adimpleant.

Idem divus Hieronymus (in epist. ad Tit.) ait: *Ante omnia hospitalitas futuro Episcopo denunciat: si enim omnes illud de evangelio audire desiderant: hospes fui, et suscepisti me, quanto magis Episcopus, cuius domus omnium commune esse debet hospitium? Laicus enim unus, aut duos, aut paucos recipiens, implebit hospitalitatis officium; Episcopus vero, nisi omnes receperit, inhumanus est; haec divus Hieronymus.*

Dionysius vero Richeilus de vita Canonicorum, et aliorum Ecclesiasticorum scribens: *Timent, inquit, canonicis, et ministri Ecclesiae, si non susceperint hospitio, et pie tractaverint pauperes, et mendicos: quid respondeant qui tales designantur penitus hospitare? quique vix suum panem, aut viles ciborum reliquias eis largiuntur, cum Dominus dicit: Hospes fui, et non collegistis me? Quod in persona suorum membrorum, videlicet pauperum, et indigentium dicit, non in persona dicitum, et potentium; quos tamen, et propinquos suos suscipiunt reverenter, tractant solemniter, preliose, et laute reficiunt, molliorque*

cutant. Audiant hi, et formident, atque implere conentur, quod Christus in Evangelio loquitur: Cum facis prandium, aut coenam, non vocare amicos tuos, neque cognatos, neque vicinos, neque dilectos, ne forte et ipsi te reinvitent, et fiat tibi retributio. Sed cum facis convivium, voca pauperes, debiles, claudos, et coecos, et beatus eris, quia non habent tibi retribuere; retribuere enim tibi in resurrectione iustorum. Ecce aperta sententia, saluberrimaeque doctrina. Verumtamen non ita intelligenda sunt ista, quin canonici, et sacerdotes licite possint interdum ex pia, et rationabili causa hospitalitatem decentem dicitibus, potentibus, et praesidentibus, et cognatis impendere. Quod tamen raro, et sine excessu, ac pompa agendum est, intentione sincera, ne derogetur pauperibus, et vera opera misericordiae relinquuntur, in quae convertenda sunt bona, quae Ecclesiasticis supersunt, quoniam Ecclesiastici redditus sunt patrimonium Christi, et elemosinae pauperum stipendia.

Sanctus Cyprianus (epist. 36. ad presbyt. et Diaconos): *Viduarum, inquit, et infirmorum, et omnium pauperum curam peto diligenter habeatis; sed et peregrinis, si qui indigentes fuerint, sumptus suggeratis de quantitate mea propria, quam apud Rogatianum comprehaberim nostrum demisi.*

Laclantius (lib. 6. Divinarum institutionum): *Præcipua igitur virtus est hospitalitas, quod philosophi quoque aiunt, sed eam delinquentia vera iustitia, et ad comoda rapiunt. Recte, inquit Cicero, a Theophrasto est laudata hospitalitas: est enim, ut mihi quidem videtur, valde decorum, patere domus hominum illustrium hospitibus illustribus. Eodem modo rudum erravit, quo tum idoneis esse diceret largiendum.*

Sanctus Gregorius Nazianzenus: *In novam dominicam peregrinum ne contemnas, pro quo Christus, cuius nos omnes hospites sumus, et advenae, peregre egit, ne paradiso, ut prius exturberis: egeni tectum, cibum, vestem suppedita, qui his ad luxum, et ultra necessarium usum oblectaris.*

Sanctus Ephrem (in doctrina varia de hospitalitate): *Non opus habetis, ut quid scribatur vobis: nostis enim hanc multis virtutibus esse maiorem. Etenim hac Patriarcha Abraham Angulos hospitio suscepit. Loth iustus per eam in subversione Sodomae non perit. Per hospitalitatem similiter Rahab meretrice non interit, cum incredulos excepit exploratores cum pace: ait enim Dominus: Hospes eram, et collegistis me: et beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequuntur: et in doctrina de perfectione monachi: De hospitium, ait, et peregrinorum saturitate, cum Abrahamo diligens studium adhibeamus: de ratione indulgenti, et compatienti fratribus, sedulo indagemus.*

Seneca laudem Moralibus vitae ductor haec scripsit: *Ostende quam sacra res sit mensa hospitalis: praebere in facie tua legendum istud decretum, quo cavetur, ne miseris tecto irrare capitale sit. Magis ista constituit, sic erit rata, quam si illam in aes incidissem.*

S. VI.

SUADETUR HOSPITALITATIS OFFICIUM EX VARIIS UTILITATIBUS, ET FRUCTIBUS TAM TEMPORALIBUS, QUAM SPIRITUALIBUS, QUOS EX EIUS EXERCITIO DECEPUNT ILLIUS SECTATORES.

Invitamentum est, consideratio pia, quod rem nostram agimus quotiescunque suscipientes hospitio peregrinum in terris, hospitio excipiemur et nos a Deo in coelis; et quod omnes hic advenae, peregrini, et hospites sumus supra tertiam. Unde magnus ille Rex (1. Par. 24) ad Deum orabat, dicens: *Peregrini enim sumus coram te, et advenae sunt omnes Patres nostri: et in Psalterio (Psal. 83): Ne sileas, quoniam advena ego sum apud te, et peregrinus sicut omnes patres mei: et sanctus Petrus (1. Petr. 2): Charissimi, obsecro vos, tanquam advenae, et peregrinos, abstinere vos a carnalibus desideriis.* Divus Ambrosius (lib. 1. cap. 5): *Omnes in hoc incolatu, inquit, hospites sumus; ad tempus enim habitandi habemus hospitium. Emigremus propterea, caecamus, ne si nos duri, aut negligentes furisium in recipiendis hospitibus, etiam nobis post vitae huius cursum Sanctorum hospitio denegentur: et sanctus Augustinus (de verbis Dom. serm. 32): Agnoscite hospitalitatem, per quam perentum est ad Dominum: suscepit hospitem, cuius et tu es comes in via, quia omnes peregrini sumus. Ipse est christianus, qui et in domo sua, et in patria sua peregrinum se esse cognoscit. Patria nostra sursum est: ibi hospites non erimus; nam unusquisque hic, et in domo sua hospes est. Si non est hospes, non inde transeat: si transiturus est, hospes est. Non se fallat, hospes est: velit, nolit, hospes est; sed dimittit illam domum filiis suis, hospes hospitibus: quare? et in stabulo si esses, non alio veniente discederes? hoc facis et in domo tua. Cessit tibi locum pater tuus, cessurus es locum filiis tuis. Ad haec Theophylactus (sup. Luc.) haec habet: *Ita Petrum, quia illum in navem exceperat, remunerare volebat: bifarium enim ei benefecit, quia et multitudinem piscium ei donavit, et discipulum suum fecit; ita debebat misericordiae opera copiosa mercede donari.**

Deinde hospitalitas plus prodest hospites suscipientes, quam suscepiens: nec mirum, quia Salutar noster apud Matthaum porrigitur calicem aquae frigidae, inquit Ambrosius (lib. 1. de Abr. cap. 5), *promittit coelestia praemia: et apud Lucam (cap. 16): Facite, ait, vobis amicos de mammona iniquitatis, qui vos recipiant in tabernacula sua; quanto magis, qui potum, cibum, lectum, tectum, et vitium praebent hospitibus, merebuntur regnum coelorum? Bona est hospitalitas, inquit divus Ambrosius, habet mercedem suam, primum humanae gratiae, deinde, quod maius est, remunerationis divinae. Idem medium acule excelsus sanctus Chrysostomus (hom. 42. in Gen.) ex verbis Abrahae, quibus invitat hospites, tum adhuc ignotos, dum ait: *Domine, si inveni gratiam in oculis tuis, ne transeas serum tuum. Dicere enim: Domine, inquit, est captantium benevolentiam. Dicere au-**

tem: si inveni gratiam in oculis tuis, hoc est admirabile. Beneficium, inquit, das, non accipis. Vere enim huiusmodi res hospitalitas est, quae magis accipit, quam dat, qui illam prompte, et abacriter exceret. Deinde carnis utilitas, ut praedixit eos vincat, tempus gustibus, verbis, et operibus. Primo enim eos adoravit, tum dominos vocat, deinde extenuat res suas. Aquam enim tepidam, inquit, habeo ad lavandos pedes, et panem, et tectum ab arbore. Sed quantum sit calor aestus, ideo paululum vos refrigerare volo, qualem pater filiis tenere dilectis exhibet benignitatem. Et quia magna atacritate venationem prosecutus est, praedam quoque inter retia conclusit. Nam responderunt: sic fac, ut dicitur, seni caritatis est juvenilis vigor: In manibus, ait, habeo thesaurum: dicitis hinc sumam, senectutis oblitiscar: Et vide eum exultantem in opere, et quasi prae gaudio saltantem, perinde atque nulla bonis manibus affert, ita se oblectant.

Ad haec fructus alios ex hoc charitatis officio profectos, et a Spiritu sancto in Scriptura sacra notatos breviter percurrit divus Ambrosius (lib. 2. off. cap. 21) in haec verba: *Abraham pro hospitalitatis mercede fructum postularis recepit. Loth quoque nepos eius non solum genere, sed etiam virtute proximus, propter hospitalitatis affectum Sodomitana a se, siveque supplicia detorsit: et rursus: Iacob oves adhaeruit, Rachel et gratiam reperit, et vicorem acquisivit. Unius horae hospitio viduae illae, quae suscepit Heliam, et exiguo cibo perpetuum toto tempore famis invenit alimentum, et mercedem accepit mirabilem, ut nunquam de hydra farina deficeret. Helisaeus quoque defuncti pignoris resuscitatione donata, resoluit hospitii pensationem. Et Dominus Iesus in evangelio cum quincunq dederit hospiti potum aquae frigidae, celestium asserit praemiorum non exortem futurum. Isaia quoque propheta cum hortatus esset ad hospitalitatem praestandam egenis, et vagis, mox subiungit: *Tunc erumpet quasi mane lumen tuum, et sanitas tua citius orietur, et antebit faciem tuam iustitia tua, et gloria Domini colliget te.* Tunc invocabis, et Dominus exaudiet. *Clamabis, et dicit: ecce adsum; quae verba expendens sanctus Cyrillus Episcopus Alexandrinus (lib. 5. con. in Isa.): Maxime, inquit, emphasis habet haec oratio. Non enim dicit simpliciter: dabitur tibi a Deo lumen, sed erumpet potius, instar fulguris cuiusdam cum impetu, et cursu demissum a Deo, ex quo perspicue patet suppeditantis promptitudo, et alacris studium. Novit enim, nocet nostrarum rerum custos Deus, spiritualium honorum largitor opportunum munificentiae suae singulari accomodam, etc. Certe lumen hoc erupit duobus discipulis Emmauelicis, simul aquae Christum in hospitium traxerunt. Unde sanctus Augustinus (cap. ult. lib. 2. quaest. Evang.): Quia hospitalitatem, ait, seclati sunt, eum, quem in expositione Scripturarum non cognoverant, in panis fractione cognoscunt. Non enim in auditors legis iusti sunt apud Deum, sed factores legis iustificabuntur. Idem sanctus Gregorius (in Evang. hom. 23): Mensam, inquit, duo discipuli ponunt: panes, ciboque offerunt, et Deum, quem in sacra Scrip-**

turæ expositione non cognoverat, in panis fractione cognoscunt. Audiendo ergo præcepta Dei, illuminati non sunt, faciendo, illuminati sunt. Non auditores legis iusti sunt apud Deum, sed factores legis iustificabuntur. Quisque ergo vult audita intelligere, festinet ea, quæ iam audire potuit, opere implere. Ecce Dominus non est cognitus, dum loqueretur, et dignatus est cognosci, dum pascitur. Rursus: Intrauit Dominus aliquando in domum Zacchæi, et excepit illum gaudens; sed suo ingressu mox benedixit Dominus hospitio suo ac domui eius, inquit: Hodie salus domui huic facta est. Et ut divus Ambrosius ponderavit (lib. 2. de Cain cap. 4): Excipiendi Christum, exultavit avaritiam, relegavit perfidiam, renunciatit fraudibus. Aliter enim non ingreditur Christus, nisi ut vitia excludat. Vide omnia vitia exclusa a domo Zacchæi, et publicanum mirabiliter mutatum intrante Domino, ait enim: Domine ecce dimidium bonorum meorum do pauperibus: et si quid aliquem defraudavi, reddo quadruplum. Hæc verba non publicani sunt, sed christiani, et non cuiuscunque, sed magni, et iusti: Fugerunt crimina, ait Ambrosius, postquam Christus intrauit. Si domui Zacchæi sic benedixit Dominus ad sui introitum, dici non poterit, quam abundanti benedictione, quam copiosa benedixit Marthæ, et Mariæ, apud quas tam frequenter suscipiebatur, et tanta cura, tanta pietate, hospitalitateque pasciebatur. Felix Marthæ provocatrix fidelium omnium ad pietatis, et misericordiae opera: suo enim exemplo provocat ceteros ad expediendo peregrinos, ad alendos pauperes; cui iure dicere possumus cum Paulo (2. Cor. 9): Vestra æmulatione provocavit plurimos. Sed multo felicior, propterea quod Christum Dominum non solum in domum excepit carne pascendum, sed potissimum in corde suo, et anima suscepit, ut ab ipso illuminaretur, pasceret spiritum, et celestis beatitudine diraretur, et repleretur. O quam recte dixit divus Augustinus (serm. 171): Nonne iste est hospes, qui dicit: Ego sto ad ostium, et pulso: si quis aperuerit mihi, intrabo, et cenabo cum illo, et ipse mecum. Quam bona domus, ubi pater, et filius ingreditur hospes, amicus, et Spiritus sanctus? ipse tibi exhibet in officio, et hospitio puritatis diversa pulmentaria. Quæ sunt ista? Gaudium, longanimitas, continentia, fides, castitas. Ipse sibi portat dulcedines deliciarum, ut pascat ibi lætantes exercitus angelorum. Cum illo hospite paræ est, et tunc dicitur, qui venit ad hospitium suum pascere, et sanare; hæc Augustinus.

Ad extremum, ille spiritualitatis supremus, ac optimus est fructus, quod sicut canibus prædam, ita pauperibus, et peregrinis, quos alimus, coelum venamur. Unde Amadaeus princeps, ut refert Ioannes Crisostomus in sua sylvæ verbo Eleemosyna, interrogatus a quibusdam oratoribus, qui cum eo sermonem conferebant, habere ne canes venaticos? ille ostendit eis mendicorum multitudinem discumbentium: Hi sunt, inquit, canes meos, quos alo quotidie, quibus celestem gloriam spero me venaturum, quia foeneratur Domino, qui miseretur pauperi. Quid est foenerari, inquit divus Augustinus (serm. 146. de temp. tom. 10), maius

dare, et plus accipere. Nemo superbiat, quia dat pauperi, Christus pauper fuit. Melior est, qui susceptus est, quam suscipiens. Ipse enim dicit: Quod uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis. Qui fecit hominem, factus est, quod fecit; qui fecit omnia, factus est inter omnia.

Tandem (lib. 7. Histor. Eccles.) mirabilem quandam hospitalitatis fructum lego, quem quidam sacerdos Apollinis ex ea decessit. Hic quoddam catholicum Episcopum necessitatis causa ad eum declinatum hospitio recepit, post cuius recessum daemon, per cuius responsa sacerdos venit, se per hospitem suum victum asserens, responsa dare renuit. Sacerdos dolens Episcopum secutus, ab eo lileras obtinuit, in quibus continebatur, quod permitteret eum ad locum suum redire, et facere sicque consueverat. Sacerdos vero tantam videns virtutem, postmodum ab eodem Episcopo baptizatus est, et post mortem eius in episcopatu ei successit.

§ VII.

VARIIS RATIONIBUS HOSPITALITATIS
VIRTUS SCADETUR.

Primo loco eam rationem satis notam appono: quia quotquot bona peregrinis, et hospitibus largimur, tot thesauros in coelo nobis accumulamus, quorum bailatores sunt ipsi peregrini, de quibus scilicet sanctus Petrus Chrysologus (serm. 7) dixit: Præmittamus, fratres, thesauros nostros in coelum: sint vectores pauperes, qui possunt sinus suo, quæ nostra sunt, ad superna portare. Nemo de fraude dubitet, bailatorum tuta est ista transvectio, per quem nostra ad Deum, Deo fideiussore, portantur. Sane dives umere possit committere sibi deportanda, et transferenda in coelum bona sua homini, qui nihil habet in terra, et quem scit devalorum omnia, quæ sibi tradiderit. Ne timeas, nam, inquit divus Chrysologus, tuta est ista transvectio: Deo fideiussore portantur. Committis res tuas homini, quem cognoscis, si ad sibi fideiussor, et vades securus: vide Deum esse fideiussorem eorum, quæ pauperi committis. Hanc rationem eloquentissime prosequutus fuit divus Chrysostomus (hom. 5 de penit.); et in illud (Psal. 38): Universa vanitas, observans illud, quod scriptum est: Foeneratur Domino, qui miseretur pauperi. Id autem duplici de causa dictum considerat, ut nostras Deus censureret avaritiæ. Primo enim non dixit, dat Deo, minus namque bene avarus verbum dandi audit, sed foeneratur Domino. O verbum sapientissimum, inquit d. Chrysostomus, Scriptura nostram avaritiam intuetur: novit insatiabilem cupiditatem nostram respicere, et additamentum quaerere. Non dicit simpliciter: dat Deo, qui miseretur pauperi, quo non simplex datur, mercedemque simplicem putes; sed dat foeneratur. Is ergo debitor est nobis. Secundo, securitatem nobis tradere voluit eorum, quæ pauperibus contulerimus. Quoniam vidit, inquit idem, nostram avaritiam ab incremento pendere, et habentem

in stabili, et solido non foeneraturam, nec velle foenerari: postulat enim foenerans hypothecam, vel pignus, vel æquipollens, atque per hæc tria pecuniam tradit, vel vades accipiens, vel hypothecæ, vel pignus. Quoniam igitur vidit Deus præter hæc foenerantem neminem, et clementia sola neminem moveri, sed lucro intentos solum habere animos, et pauperem horum omnium privatum, non hypothecam habentem, nihil enim possidet: nec pignus ferentem, nudus est enim: non æquipollens exhibentem, nihil enim sibi inopi creditur. Vidit pauperem periclitantem, et divites per sævitiam pessum abire: medium sese iniecit vadem, quippe pauperi pignus. Foeneranti, dicit Deus, non credis huic per inopiam? mihi per divitias crede: semelipsum dedit pignus nihil habenti; hæc divus Chrysostomus. Secare igitur pauperi committere potes bona tua, qui Deum ipsum habes fideiussorem, et vadem. Immo ut optime beatus Ambrosius (in Psal. 40. et lib. de Naboth cap. 7) prosequitur, sese miser cordæ, et eius, quod pauperi dedisti, et commisit debitorum. Quibus illa concinit Spiritus sancti sententia (Ecl. 17. 18), omnino adnotatione digna: Eleemosyna viri, quasi signaculum cum ipso, et gratiam hominis quasi pupillam conservabit. Ubi quamplurimi codices mutant legunt sancti Patres. Qua metaphora ostendit, quod vir faciens eleemosynam potius sibi reponit quam det alteri. Quicumque iter arrepturus est, secum deferat sacculum, aut peram, ubi quæ itineri agendo conducunt, totat, incongrueque iter agitur sine eo, præsertim si agendum est, ubi nihil quis est inventurus, nisi quod sibi metipso deposuerit. Ita dixit illa (Prov. 7): Vir meus abiit via longissima: sacculum pecuniarum secum tulit. Ecce, quidnam sit eleemosyna, quam facis: sacculus, quem tecum reportes. Acturus es iter, et per viam ambulaturus, per quam non regredieris, solum ea inventurus, quæ tibi reponeris; cum eleemosynam facis, sacculum præparas, quem tecum in huiusmodi itinere portes, iuxta illam divi Ambrosii sententiam: Sola eleemosyna comes est defunctorum: et si solannodo homo ad sui solatium, et levamen portabit moriens, quod vivens in pauperem subsidium contulerit. Quibus forte Christus Dominus alludere voluit, quando dixit (Luc. 12): Facite vobis sacculos, qui non veterascunt, id est, qui non consumuntur, nec deficiunt, neque exhauriantur, quos vobiscum possitis portare. Ceterum correctior lectior est: quasi signaculum, aut ut in graeco habetur, quasi sigillum, quomodo Regia legit, et non potuit meo iudicio melius explicari, quantum sibi homo securum conservet, quod pauperi dat: quantaque cura Deus illud ipsi danti custodiat. Nihil homo magis apud se retinet, quam sigillum, quod a manu sua nunquam separatur, nec a digitis suis amovetur, aut a suo conspectu diverit, ut in ipsa Scriptura sacra videre licet. Nihil homo magis sibi, et in manibus suis retinet, quam eleemosynam, quam dat pauperi. Inseparabilis iam est a manu sua, quantum est ex natura eleemosynæ, sive vivat, sive moriatur, sive permaneat in mando, sive egrediatur. Omnia, quæ habes in

domo tua recondita, non ita sunt in manu tua, quam ab illa non separantur, sive per coram corruptionem, sive per furtum, sive per tui mortem, in qua omnia illa, quæ manu tenebas, dimittere necessum est. Id quod egregie sanctus Iob dixit: qui postquam divitem avarum descripsit dicens, habere domum plenam, redundantemque divitiis, bene suo iudicio conclusam, et securam: Domus enim eorum securas, et pucatas, habere insuper armenta copiosa, et greges quamplures, etc. Sed quia non sunt, inquit, in manu eorum bona sua, consilium impiorum longe sit a me. Quem locum egregie ad hoc institutum exponit beatus Gregorius (lib. 5. Mor. cap. 28). Quis recensere poterit consilia, discursus, computa, rationes, et dispositiones divitum erga suas divitias? Quidam cogitant, sicut ille, quem Christus refert, apud se dicens: Destraam horrea mea, faciamque maiora. Alii de augendis redditibus in locis tuis consiliantur, qui census grandi pretio emunt, ut irredimibiles sint, et perpetui. Alii cogitant utilius emere villam, aut populum cum iurisdictione, ut firmiores sint divitiarum, hæcque in re videntur sapientissime discurrere. Hos auscultare videtur sanctus Iob dum dicit: Consilium eorum longe sit a me. Quare? quia non sunt in manu eorum bona sua. Quantumcumque consilientur, discernant, et modos quaerant, quibus securas sibi faciant divitias; nullatenus per talia consilia id obtineant, quod bona sua perpetuo in manu sua retineant, langnam domini erunt. Consule, dispoñe, ordina, præcave quicquid volueris circa divitias conservandas, retinendas, et augendas, nullatenus per talia ista consilia id comparabis, ut divitias tua perpetuo tibi in manu tua retineas: Dormierunt enim somnum suum, et nihil invenerunt omnes viri divitiarum in manibus suis. Dicit: Somnum suum, id est, mortem sibi statutam, quam vitare nullus potest, est enim cuique hic somnus consilium, quem dormiat; aut ut divus Ambrosius (lib. de Naboth. cap. 19) explicat: Dormierunt somnum suum, quia huiusmodi homines non Christi somnum dormiunt, et ideo non habent Christi quietem: nec surgunt Christi resurrectione, quia ipse ait: Ego dormivi, et quievi, et exarxavi, quia Dominus suscepit me; et quid factum est? et nihil invenerunt omnes viri divitiarum in manibus suis, et sequitur: Omnes dicit, nullum excepit, et bene viros divitiarum appellavit, non divitias virorum, ut ostenderet eos, non possessores divitiarum esse, sed a suis divitiis possideri: possessor enim possessoris debet esse, non possessor possessionis. Quicumque igitur patrimonio suo, tanquam possessione non noceat, is suarum rerum est, et dispensare non noceat, quippe largiri pauperi, et dispensare non noceat, is suarum rerum est, non Dominus facultatum: quia aliena custodit, ut famulus, non tanquam dominus suis utitur. In huiusmodi ergo affectu dicimus, quod vir divitiarum sit, non divitiarum virtus.

Secundam rationem iam subiungo, quia revera, cum officia hospitalitatis præstamus, non tam hominibus, quam angelis, vel certe ipsi Christo ea impendimus: verba d. Pauli sunt (ad Hebr. 13): Hospitalitatem nolite oblivisci,

per hanc enim placuerunt quidam angelis hospitio receptis, nempe Abraham, et Loth: et Christus ipse apud d. Matthaem (cap. 25) omnibus salvandis dicit: *Hospes eram, et collegistis me: et ipsi salvandi id fantur: Quando te vidimus hospitem, et collegimus te? ibidemque haec subdit Christus: Amen dico vobis: quantum fecistis uni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis.* Deinde iam ante dixerat (Matth. 10): *Qui recipit vos, me recipit, et qui recipit me, recipit eum, qui me misit: unde d. Hieronymus (ad Pammach.): Dives erat Abraham auro, argento, pecore, possessione, vestibus: tantam habebat familiam, ut ad subitos nuncios iuvenibus electis armare posset exercitum: et tamen post tam crebra hospitalitatis officia, dum non refutat homines, suscipere meruit Deum: et (ad Nepot.): Mensulam tuam pauperes, et peregrini, et cum illis Christus noverit. S. Ambrosius (de offic.): Vides quia Abraham Deum recipit hospitio, dum hospites quaerit? Vides, quia Loth angelos suscepit? Quid scis an tu, cum suscipis hospitem, suscipias Christum, cum in hospite sit Christus, quia Christus in paupere est, sicut ipse ait: In carcere eram, et venistis ad me: nudus eram, et operuistis me: hospes eram, et suscepistis me: et (l. 1. de Abr.): Vide primo fidei mysterium. Deus illi apparuit, et tres aspectus. Cui Deus refugit, Trinitatem vidit: nec sine Filio Patrem suscipit, nec sine Spiritu sancto Filium confitetur: et s. Augustinus (in serm. de temp.). Diligent, inquit, haec audite fratres, qui hospitalitatem exercere non cultis, qui hospitem, velut hostem excipitis. Ecce beatus Abraham dum homines ferventer exciperet, ipsum Deum suscipere hospitalitatis contemplatione promeruit. Hoc etiam in evangelio Christus confirmavit dicens: Hospes fui, et suscepistis me. Nolite ergo negligere peregrinos, ne forte, quem non excipistis, sit ipse Christus. Idem (serm. septuagesimo): Noli despiciere peregrinum, ne forte, quem non excipieris, ipse sit Christus. Ac tandem Iohanne Diacono, id referente in vita s. Gregorii (cap. 1. num. 22. et 23), saepe Christus Dominus sub pauperis figura inter eos, quos sanctus Gregorius ad hospitium invitabat, comparuit, ut supra latius diximus.*

Ad haec praedicta omnia confirmat illud Ecclesiastes (c. 11): *Mitte panem tuum super transeuntes aquas, quia post tempora multa inventus erit illum.* Glossa ordinaria (super hunc locum) ait: *Per has aquas transeuntes peregrinos intellige, qui ex uno loco ad alium transeunt: et semper sunt, instar aquarum fluminis in quodam transeunse.* Originale hebraeum legit: *Mitte panem tuum super faciem aquarum, id est super faciem terrae aquis irrigatam.* Certe feracissima, ac foecundissima terra est peregrini, et hominis pauperis facies lacrymarum aquis madafacta. In hac semina panem tuum, et magno cum foenore semen reddet. Unde d. Hieron. (in comm. hui. loc.) dixit: *Quomodo quis super irrigua seminat, fructum sementis expectat: ita qui largitur egentibus non granum seminis, sed ipsum panem serit, foenore quodam multiplicationem ipsius praestolans: et cum dies iudicii advenierit, multo amplius, quam dederat receperit;* haec ille. Possimus etiam aliter

in hunc modum eadem verba sic explicare: *Mitte panem tuum super transeuntes aquas, id est: mitte panem tuum in mare, ut in longinquam coeli regionem navibus deportetur, et post tempora multa cum efflaveris animam, invenies illum.* Sed quaeenam sunt naves, quibus panis noster deportatur? pauperes sunt. Quemadmodum enim navibus merces minoris pretii in longinquas regiones exportantur, ut cum aliis pretiosioribus commutentur; sic pauperum manibus panis, pecunia, et eiusmodi in coelum deferuntur, ut pro iis parvi pretii rebus infiniti pretii gloria retribuatur. Hoc Christus docet, cum divitem quendam sic alloquitur (Lucae 18): *Omnia quaecumque habes, vende, et da pauperibus, et habebis thesaurum in coelo.* Quasi dicat: onera tuis divitiis naves, id est, pauperes, ut in coelum vias opes deferant, et cum pretiosissimo thesauro commutabunt. Solent naves meribus onustae saepe facere naufragium; ad haec naves, id est, pauperes, in portum semper salvus meritis inveniuntur; quod enim pauperi dederis, Deus absque dubio rependit. Quomobrem anreum divi Chrysostomi os, ut opes ex terra in coelum hac lutissima navigatione transferamus, (homil. 48. in cap. 24. Genesios) his verbis nos adhortatur: *Omnia faciamus, ne alibi egent simus futuri; nam quae utilitas in aliena regione multas divitias relinquere, in patria autem necessariis carere? Itaque oro festinemus, dum adhuc tempus est, ut illuc transferamus etiam quae in hac aliena habemus. Facilis transvectio est, secure illuc transferimus, et in thesauro inderaedabili reponimus quaecumque per pauperum manus praemittimus; haec ille.*

Tertiam rationem desumo ex verbis illis regii vatis (Psalm. 111): *Iucundus homo qui miseretur, et commodat: disponet sermones suos in iudicio.* Tietmannus ita illa explicat: *Benignus, suavis, et amabilis est tam apud Deum, quam apud proximos, qui misericordiae vacat operibus.* Primum quidem sui ipsius misertus, deinde et aliorum: qui quae paratus est indigentibus commodare sua, atque etiam largiri, ubi congruum viderit, vel necessarium de his, quae accepit a Domino, paratus proximorum sublevaré inopiam. Qui deinde sermones suos universos, atque omnes operationes ita gubernat, ita dispensat, ita dirigit in iustitia, et aequitate, ut non loquatur, aut agat, nisi quae iusta, et aequa sunt. Talis profecto in sempternum non conturbabitur a sententia aeternae damnationis. Eodem modo interpretantur hunc locum permulti alii Commentatores cum beato Theodoro. Aliis placet, quod in verbis prioribus dicitur de iusto, qui misericordiam servavit: *Iucundus, qui miseretur, et commodat, in sequentibus vero: Disponet sermones suos in iudicio, laudatur a iustitia in eo, quod quaesitus in iudicio in negotiis civilibus, et criminalibus, praemeditatus est verba, quae dicitur est, ne temere aliquid dicat, aut suis verbis quemquam iniuste laedat.* Alii ad versionem graecam attendentes, quae non verit: *disponet sermones, sed disponit rationes, et negotia, putant, iustum laudari, quod cum multo iudicio, et maturitate res suas agat.* Alii opi-

nantur, tam in secundo, quam in primo versu laudari iustum a misericordiae operibus. Unde aiunt, per verbum illud, *sermones suos*, non significari verba, sed opera, iuxta illud (Lucae 1): *Fideamus hoc verbum, quod factum est. Illo etiam verbum, in iudicio, quod idem est, ac iustitia, putant significari elemosynam, quae non semel in sacra Scriptura appellatur iustitia, ut videre est apud Daniele: nam ubi vulgata nostra verit: *Elemosynis peccata tua redime*, originale Hebraeum habet: *Iustitias.* Nostro tamen argumento inservientes, illa mihi videtur germana huius loci expositio, ut in eo David enarret spiritualia praemia, et fructus, quos colligit, qui misericordiam facit proximo suo, subveniens eius necessitati. Primo apponit velut praemium, iucunditatem, quod proprium est operantis ex habitu misericordiae: quia secundum Philosophum (1. Ethic.) signum habitus generati est delectatio in opere. Deinde securitatem comparandi ante tribunal Christi in die iudicii: quia cum divitiarum talenta sibi commissa in pauperes, et peregrinos, et similia alia misericordiae opera distribuerit, magna cum confidentia tunc aderit. Afferens enim oleum misericordiae in lampada sua securus erit, se non auditurum: *clausa est ianua, nescio te, etc.* Unde Christo interroganti de talentis sibi commissis alacriter dicit: *Domine quinque talenta tradidisti mihi, ecce alia quinque superbuicavi sum.* Tu promistis regnum coelorum tu daturum ei, qui te in paupere hospitio receperit, ego te recipi: imple quod promististi. Qui hoc modo praemeditatur, suis operibus responsurum Deo in die iudicii, hic sane mihi videtur, de quo David ait (Psal. 111): *Disponet sermones suos in iudicio.* Ne autem cupiam videatur haec nostra expositio extorta, aut literae parum, vel nihil consensanea, prout hisce auribus a quibusdam audivi, auctoritate gravissimorum doctorum eam constabiliam. Nam in primis glossa ordinaria (in comm. hui. loc.) ait: *Haec facta sunt sermones, quibus defendetur in iudicio, quod non erit sine misericordia, quia misericordiam facit. Hoc a similitudine praemeditantis causam dicitur, ut eam firmis allegationibus, et accersionibus in iudicio praemunit.* Sed clarius Aymon, qui in hunc modum loquitur: *Sermones suos, id est, opera sua: Opera dico valitura in iudicio futuro. Per sermones ideo accipimus opera, quia sicut sermones alicuius oratoris bene dispositi defendunt eum in iudicio; sic opera iusti rationabiliter exhibita defendunt eum in futuro iudicio.* Eidem expositioni consentit Magister sententiarum, qui (su. Ps. 111) haec scribit: *Disponet, id est, disponit sermones suos, quibus defendatur in iudicio futuro, quia haec facta sunt, quasi sermones, quibus defendatur in iudicio: quod non erit sine misericordia, quia ipse misericordiam fecit; et dicitur hoc a simili alicuius praemeditantis causam suam, ut eam firmis allegationibus in iudicio munit.* Eandem expositionem, et hisdem fere verbis tradit Incongnus, et Episcopus Christopolitanus. Nec mihi et dissentire videtur d. Hieronymus, sed eandem potius adstruere, dum ait: *Disponet sermones suos in iudicio, hoc est, Iudex suimetip-**

sus est, ait apud semetipsum, Dominus dicit: dimittetur tibi, si dimiseris; si das, dabitur tibi: quia ille, qui sic se iudicat hic in praesenti, Deus illum coronat in futuro.

Finem his rationibus impono, eam solum d. Ambrosii apponens (lib. 1. de Abrah.) dicentis: *Ad tempus habitandi habemus hospitium, enigmam propterea, caecamus, ne si duri, aut negligentes fuerimus in recipiendis hospitibus, etiam nobis post huius vitae cursum sanctorum hospitia denegentur.*

§. VIII.

QUIBUS CIRCUMSTANTIS OPORTEAT HOSPITALITATEM EXERCERE, UT GRATIAS SIT DEO, ET HOMINIBUS.

Inter has circumstantias, illam non contemnendam primo loco appono, ut qui veli hospitium ad se divertere, non solum cum roget, sed etiam renuat, cogat: ut fecerunt duo discipuli in Emmaus profecti cum Christo Domino: *Non sola facilis susceptio, inquit (loc. cit.) d. Ambrosius, sed etiam sedulitas suscipiens, et affectus in hospitalitate quaeritur. Utrumque se Abraham docet: curavit obviam, rogavit prior dicens: Domine si inveni gratiam ante te, ne praeterieris seruum tuum: et d. Iohannes Chrysostomus (hom. 43): Neque enim sic admirabile erat, si suscipiendo hospites Abraham, curiosus explorasset, qui essent; sicut huic ignorans quantum adveniret, tanta auctoritate, et honore accedit, verbis suis, quasi seruis bono eis vincula iniicit, et supplicat eis ne renuant. De Christo vero ad hospitium coacto ita scribit s. Greg. Ex quo nimirum exemplo colligitur, quia peregrini ad hospitium non solum invitandi sunt, sed etiam trahendi. Id ipsum late, et erudite his verbis prosequitur Albertus Magnus (super Lucam): *Neque sane praeterendum est ille visitationis modus: Rogabat, inquit, sunt namque peregrini, maxime verbum Dei annunciantes, vocandi, adducendi: rogandi, attrahendi, et cogendi. Vocandi, (Lucae 14): Vocavit multos, et misit hora coenae seruum suum dicere invitatis; ut venirent. Adducendi, (Genes. 43): Introduce viros in domum, quia mecum comesturi sunt in meridie. (Tobiae 2): Vade, et adduc aliquos de tribu nostra timentes Deum, ut epulentur nobiscum. Attrahendi etiam sunt violentis precibus, quasi quibusdam adurationibus (Gen. 18): Domine si inveni gratiam in oculis tuis, ne transcas seruum tuum, sed offeram puicillum aquae, et laventur pedes vestri, ponamque buccellam panis, et confortetur vestrum, et quiescat sub arbore, et transibitis. Cogendi etiam quandoque sunt, ad instar Christi (Lucae 24): Sic enim duo discipuli coegerant illum dicentes: Mane nobiscum Domine, quoniam advesperascit, et inclinata est iam dies. Neque vero tantum Christum rogant, ut in suam domum adverteret, sed ut manducaret cum illis. Sunt qui prae foribus pauperes admittant, illisque elemosynam largiantur, aut eis mittant**

quod velint: et hi quidem bene faciunt. Sunt qui in domos recipient, et foeneri iubeant: et hi melius faciunt. Sunt qui ad mensam, velint socios, et contubernales admittant: et hi optime faciunt. De primo ordine (2. *Edrae* 8) legitur: Mille partes his, qui non praepraverunt sibi. De secundo (Tob. 31): Foris non mansit peregrinus, et ostium viatori patuit. De tertio (Genes. 43) Joseph factum recensetur.

Secunda circumstantia est, ne declinet hospitalitatis officium propter inopiam, aut domicilii angustias. Unde s. Hieron. (in Matt.) scribens in verba Christi: Quicumque potum dederit uni ex minimis illis calicem aquae frigidae tantum in nomine discipuli: Amen dico vobis, non perdet mercedem suam: ait rursus: Poterit alius causari, et dicere: pauperlate prohibeo, tenuitas me retinet, ut hospitalis esse non possim; et hanc excusationem levisimo procepto diluit, ut calicem aquae frigidae toto animo porrigamus. Frigida, inquit aquae, non calidae, ne et inralida pauperlati ex petia lignorum occasio quaereretur. Tale quid et Apostolus (ad Galat.) praecipit: Communicat autem is, qui catechizat verbo ei, qui se catechizat in omnibus bonis, et discipulus ad magistorum refrigeria hortatur. Quia poterat quilibet obtendere pauperlatem, et proceptum eludere; priusquam ille proponat, imminet solvit questionem, dicens: Nolite errare, Deus non irridetur: et d. Chrys. in acta: Quomodo enim non absurdum, si milites venerint, inventi apud eos ordinata domicilia, et omnia suppeditari eis, quae iurant vos in sensibili bello; hospites autem non habere ubi maneant? Habe dominum, in quam veniat Christus. Dic: haec cellula Christi est: cubiculum hoc ei segregatum est: licet humi solum sit, ac vile, non despicit. Sit etiam inter ministros fideliores hoc officium, ut caecos, pauperes, et tecti egenos introducat. Haec dico ad confusionem: non oportebat quidem sursum in domo illos recipi. Si autem non vis, licet infra etiam, ubi multi, ubi ministri, accipe Christum. Abraham ubi ipse manebat, ibi et hospites suscipiebat; et uxor, ut ancilla stabat: illi autem, ut domini erant. Nesciebat, quod Christum suscipiebat, nesciebat, quod angelos; quod si quidem scivisset, erogasset omnia: haec dicit Chrysostomus, qui et (super cap. 12. ad Rom. hom. 21) inquit: Noli ergo pecuniarum respicere sumptum, sed ea sumpta proventum. Si enim qui seminat, gaudet, licet in incertum seminet; multo magis, qui coelum, quasi agrum colit. Nam sic etiam dederis pauca, multa dediti: si vero, cum moestitia dederis, licet multa, pauca dediti.

Ad haec d. Cyr. (ser. de elem.) eleganter dixit: Si vereris, et metuis ne si operari plurimum coeperis, patrimonio tuo larga operatione finito, ad penuriam forte rediaris, esto in hac parte intrepidus, esto securus: Anri enim non potest, quod in usus Christi impenditur, unde opus coeleste celebratur. Non hoc tibi de meo spondeo, sed de sanctarum Scripturarum fide, et divinae pollicitationis auctoritate promitto. Loquitur per Salomonem Spiritus sanctus, et dicit: Qui dat pauperibus, nunquam egebit; qui autem avertit oculum suum ab eis,

in magna penuria erit. Quo ostendit misericordes, atque bene operantes egere non posse.

Tertia circumstantia sit omnino servanda, ne videlicet sollicitus scrutator, et explorator sit meritum hospitis, quos solum pulet, bono excipiendos, malos autem respondendos: ita adnotavit d. Chrysostomus (in Genes. homil. 41. de Abrah.), ubi ait: Ante tabernaculum suum in meridie sedens, eos, qui praeteribant, venabatur: non curiose explorans eos, qui praeteribant, neque requirens, an noti, vel ignoti essent; neque enim hospitalitatis fuerit, diligenter singula perscrutari, sed omnibus simpliciter suam communicare benignitatem. Audiamus dilecti, et hospitio excepturi, nunquam quaeramus quis, et unde. Nam si Patriarcha in rogando fuisset curiosus, forte peccasset. Idem etiam s. Chrysost. (serm. de elem. et coll. in sanct.) haec habet: Dicis: pauperes isti fugitivi sunt, et peregrini, et nebulones, relictuae patria sua, in nostram conflunt. Et tu hac ne de causa stomacharis, civitatibusque huius coronam praecipuum vellicas, quoniam communem patriam, et portum omnes eam putant, et alienam propriae praeferrunt? ne tantum praeconium adulteres. Olim cum fames totum orbem incursura esset, habitatores huius civitatis his, qui Hierosolymis erant, per manum Barnabae, et Saulis subsidia miserunt non parva. Qua ergo venia digni vestri sunt opibus pangebant eos, qui a longe habitabant, et ad ipsos currebant; nos vero etiam aliunde ad nos confugientes fugamus, et ut de eis poenam sumantur, petimus? Quod si Deus ita diligenter nos scrutaretur, uti nos causam pauperum, nullam unquam misericordiam, vel veniam assequeretur.

Idem sanctus Chrysostomus (hom. 21. ad Roman.) inter alia multa, quae in hoc genere argumenti dicit, haec scribit: Ne igitur scrutatoris pauperum vitam, atque negotia, nam extremas illud insolentiae est, pro uno pane totam miseri hominis vitam inquirere curiose. Nam etiam latro, si homicida, aut aliud inhumano fuerit, nonne videtur pane dignus? et tamen Dominus tuus super illum solem suum oriri facit, et tu cibo quotidiano illum privandum iudicaris? Ego vero addam, quod etiam manifeste cognoveris, illum innumeris reftum esse malis, nec sic excusationem habetas, si quotidiano cibo privaveris illum. Servus enim illius est, qui dicit: necesse est curare laborabat; immo et qui crucifixus est pro eis; haec ille. Contra eos autem qui dicunt peregrinos, aut pauperes simulare pauperlatem, haec habet (homil. 37. ad Pop.): Si pauper simulat, ex necessitate simulat, propter saevitiam, et in humanitatem tuam, quae talibus pauperibus supplicantiibus non flectitur ad misericordiam. Quis enim tam miser, et aerumnosus, ut nulla penite necessitate pro solo pane velit ita deturpari, taleque poenam sustinere? Illius igitur simulatio fertur inhumanitatis tuae praeco: quia enim supplicans, et deprecans, et miserabilis fundens verba, gemens, et plorans, totum circumiens diem, neque necessariam inveniebat a-

limentum; forte hanc artem excogitavit, non sibi tantum quantum tibi decoretis, et accusationis inferentem: nam ille quidem misericordiam invenire dignus erat, quod in tantam deventu necessitatem; nos autem innumeris digni supplicis, quod pauperes talia cogimus pati. Si enim de facili flecteremur, nunquam ille talia subire maluisset; ita sanctus Chrysostomus.

Ad extremum qui importuni peregrinorum, et aliorum pauperum exploratores sunt, per similes mihi videtur stulto ac insipienti Nabal: nam cum quidam servi David defatigati ex longo itinere, ad illum appropinquarent, dicentes (1. Reg. 25): Nunc ergo inveniant pueri tui gratiam in oculis tuis: in die enim bona venturus, quodcumque invenerit manus tua, da servis tuis, et filio tuo David; ipse stulte explorare volens conditionem, et stalum Davidis, haec austera verba respondit: Quis est David? et quis est filius Isai? hodie increverunt servi, qui fugunt dominos suos. Tollam ergo panes meos, et aquas meas, et carnes pecorum, quae occidi, tonsoribus meis; et dabo viris, quos nescio unde sint? At dices, Spiritus sanctus (Ecclesiast. 12) ait: Benefac humili, et non dederis impio: prohibe panes illi dari. Non ergo indiscriminatio boni, et discolori hospites sunt admittendi, et consequenter sunt explorandi. Sed respondeo doctrina d. Augustini (in Ps. 102), ibi solum prohiberi recipi improbum, quia improbus est, quia hoc nihil aliud esset, ut ipse ait, quam diligere iniquitatem; potest tamen, et quandoque debet improbus recipi, quia egenus est, et gravi necessitate premitur. Faleor tamen, quod hospites melioris opinionis, et maxime ecclesiastici, et religiosi praeferrendi sunt aliis non ita probis, ut his verbis docuit d. Ambrosius (lib. de offi. c. 21): In officis hospitalibus omnibus quidem humanitas impertienda est, iustis autem uberius deferenda honorificentia: quicumque enim iustum receperit in nomine iusti, mercedem iusti accipiet, ut Dominus pronuntiavit. Quare si certe constat hunc esse probum, illum vero improbum, nec potest nisi unus recipi, ille admittendus, hic excludendus est, ut tradidit s. Ephrem (in par. par. 42), ubi ait: Si quis dicat, rem bonam esse hospitalitatem; consentio et ego. Ad hospitalis vir imitari debet eum, qui aurum in fornace probat, primumque sibi accipit, improbatum vero despicit.

Quarta circumstantia sit, ne expectet, ut hospes adveniens ab eo petat hospitio suscipi; sed ipse, cum id fieri potest, praeveniatur illum suscipiendum, exemplo Abrahæ, de quo Scriptura dicit (Gen. 18): Cumque elevarit oculos, apparuerunt ei tres viri, stantes prope eum; quos cum vidisset, curavit in occursum eorum de ostio tabernaculi. Quae verba s. Ambrosius perpendens (lib. 1. de Patr. Abrah.): Non otiosus, inquit, sed qui longe aspexit, nec aspexisse contentus, curavit obviam. Festinavit occurere, quia non satis est recte facere, nisi etiam matures, quod facias: ubi ergo enim fructus habet celerata devotio. Disce ergo, quod impiger esse debas, ut possis praeveneri hospitem, ne quis praeveniatur, et te boni muneris defraudet copia: et s. Ioann. Chrys. (in eadem verbo): Currit, ait, et volat se-

nez: vidit enim praedam, quam venabatur, et nulla infirmitatis suae ratione habita, ad venationem currit, et non vocavit famulos, neque imperavit pueri, nihilque rusticitatis, neque desidiae praesultit, quasi diceret: magnus thesaurus est, magna negotio, per me metipsum hanc mercedem inferre debeo, ne elabatur tantum lucrum. Discamus et nos, ac imitemur iusti virtutem.

Quinta circumstantia est, ut omni humanitate, studio atque animi alacritate exceptum hospitem tractet. Unde d. Chrysostomus ita loquitur scribens (in Acta Apostolorum): Vide liberalitatem Abrahæ: vitulum macclavit, fermentavit et farinam. Audi et alacritatem: pro seipsum, et uxorem hoc facit. Considera etiam, quam alienus est a fastu: adoratur, et obsecratur. Omnia illa habere oportet hospiti excipientem; alacritatem, festivitatem, liberalitatem. Hospitis anima erubescit, et confunditur, si non cum excellentia declaratur: gaudium abalienatur, et mox deterius fuerit, quam non esse susceptum. Ideo adoratur, idcirco sermoni comi, et sedili excipit. Quis videtur dubitari, sciens quod ille hospitalitati operam dederit? Anget virtutem Abrahæ, quod non per famulos, sed per se omnia humanitatis, et humilitatis officia hospitibus detulerit. Unde s. Hieronymus (ad Panmachium super obitu Paulinae uxoris): Non servis, et ancillis, inquit, imperabat, ut ministrarent hospitibus; nec bonum, quod exercebat, per alios minuit; sed quae reperta praeda cum Sara sua humanitati solus incubuit. Ipse pueris lavit, ipse pinguem vitulum portavit hederis de armento. Stetit ut servus peregrinis pranderentibus; et Saræ manibus coctos cibos ieiunaturus apposuit: et divus Chrysostomus (in epist. pri. ad Tim.): Praetererunt homines viatores, ut putabat Abraham, suscepti hospiti, neque tamen permittebat servis omnia, sed uxori miscere farinam imperabat; et quidem, cum trecentos haberet, decem et octo vernaculos, quorum uxores illidem habuisse famulas, dubium non est. Sed ipse cum uxore mercedem sibi comparare festinat, non impensae tantum, verum ministerii quoque. Tandem hospiti nequaquam aspera verba dicenda sunt, iuxta illud (Ecclesiast. 21): Non exasperas pauperem in inopia sua.

Sexta, et ultima circumstantia sit, ut fragali, et obvio cibo hospitem recreare, non exquisitis epulis, et lauto convivio illum saturare satagat: Non opes, inquit divus Ambrosius, a te hospes requirit, sed gratiam; non ornatum convivium, sed cibum obvium. Melior est, inquit Salomon, hospitalitas cum oleverbis ad amicitiam, et gratiam; quam si vitulos occidas ad praescipia cum inunctis. Haec est grata omnibus, et accepta Deo. Unde Dominus Iesus in Evangelio, eum quicumque dederit hospiti potum aquae frigidae, coelestium asserit praemiorum non exoritur fulcrum. S. Basilus etiam in regulis fustus dispensat, posita quaestione quae ratio sit monachis tenenda in accipiendis hospitibus? respondet primo, monachos non decere, ut apponant exquisitas epulas hospitibus, et rem esse pravi exempli, si ve illi monachi sint, sive saeculares. Illis enim sufficit domestica mensa; hi vero desunt

formam vitae frugalioris, et si tractatio non placeat, haud facile redibunt. Secundo, Martha a Domino reprehensa est, quod sollicita esset circa plurima, nempe ferula paranda. Christus quoque hominum millibus frugalem mensam posuit. Salomon in Proverbiis postulat tantum sibi tribui victui necessaria. Tertio ait, in communi hoc statuendum esse, ut cibaria quae promiscue omnibus apponuntur, eiusmodi sint, quae cum viii prelio, tum parvo etiam negotio comparentur, omniumque necessitati satisfiat; servata simul omni munditia mensae, et elegantia. Sic b. Ephrem (in doctrina varia): *Monache, inquit, si accesserit ad te monachus, sive saecularis quispiam, noli supra vires offerre te ei, ne post fratris discessum dolens de bonis insumptis apud fratres tuos, sed appone quod tibi Dominus largitur. Melius est enim apponere olera cum charitate, quam victimas cum tristitia: hilarem enim datorem diligit Deus. Quod autem monachus in adventu hospitum de severitate consueti sui seculi relaxare aliqui possit, ad recreandum hospitum, docet b. Prosper (lib. 2. de vita contemp. c. extr.), et Ioannes Cassianus (coll. 21. cap. 14. et 24. et coll. 24. cap. 20. et 21).*

HOMILIA XXVII.

Aurea apponitur catena hodierni evangelii ex doctrina sanctorum Patrum, et ex aliis a nobis excoogitatis contexta; quae tam literallem, quam moralelem illius sensum amplectitur.

§. I.

INTRAVIT IESUS IN QUODDAM CASTELLUM.

Quamvis d. Anselmus, et Innocentius III. (serm. de assumpt.) mystice loquentes, videantur per castellum intelligere arcem, quae figuram, et typum Deparatae Mariae gerat; asserere tamen in sensu literalis, prout quidam indecite asseruerunt, per castellum arcem significari, quod *Magdalenam* appellabatur, unde Mariae cognomentum fuit *Magdalena*, et sapientes ad risum provocavit, et haereticos calumniamdi occasionem praebuit. Nam certe castellum hic idem est, quod pagus, aut oppidum, non arx, quae in ipso oppido sita esset. Erat autem illud castellum *Bethania*, ut constat ex d. Ioanne (cap. 11. et 12.) quae et distabat stadiis quindecim ab Hierusalem, ut ibidem habetur. Quod vero dicitur, castellum illud esse *Marthae*, et *Mariae*, non ex eo dicitur putari debet, quod ipsae essent dominae illius castelli, sed quod in eo habitarent, quemadmodum *Bethsaida* dicitur *civitas Petri, et Andreae*: (Ioann. c. 1) non quod Domini, sed quod habitatores illius ipsi essent: maxime quia nullibi legitur, Iudaeum ullum prae-

sertim tempore, quo Romani dominabantur, ullius oppidi dominum fuisse. Ac tandem, quod nonnulli in dubium vertunt, an solus Christus intraverit in illud castellum, non vero discipuli, quia d. Lucas ait: *Factum est, dum irent, et ipse intravit in quoddam castellum: per quae verba significari contendunt, quod solus ipse intraverit. Certe verosimile non est, ipsam diversisse ad cibum capiendum absque discipulis, qui illum comitabantur. Dicitur ergo, ipsum intrasse, non ad excludendum quod illi intrarint; sed quod ipse solus cogitavit in eum locum divertere, quia cum vel castellum illud non esset recta via, vel certe non videretur tunc tempus divertendi, alii de eo cogitare non poterant. Sed ad Patres iam accedamus mysticam eorum interpretationem in medium proponentes.*

D. Bernardus (serm. 5. de assumpt.) ait: *Quod est autem hoc castellum, nisi cor humanum, quod priusquam Dominus ad illud veniat, cupiditatis fossa vallatur, murosque obstinationis clauditur, atque in interiori sua latitudine Babylonica turris erigitur. Tria certe in omni oppido sunt maxime necessaria: victualia, quibus incolae illius sustententur: munus, quae protegantur: arma, quibus hostibus resistant. Sic ergo et huius castelli incolae victum habent, voluptatem corporis, et saeculi vanitatem, quibus pascuntur: habent, et quae teguntur, proprii cordis durtitiam, ut verbi Dei sagittis potentius via, aut nunquam penetrari valeant. Acineti sunt armis, carnalis scilicet sapientiae argumentis, quibus contra hostes repugnant. Unde scriptum est: *Filii huius saeculi prudentiores filius lucis in generatione sua sunt.* Ad vero Christo visitante, et intrante, castellum hoc evertitur, et pro eo novum aliud pulchrum, ac spirituale constructur: impleturque quod dicitur: *Si qua in Christo nova creatura, vetera transierunt, et ecce facta sunt omnia nova.* Sublata quippe cupiditate, expanditur ingens sinus desiderii, ut ad eius adventum nullo magis anhelet mens ad coelestia, quae prius terrenis incuberat. Iam ponitur murus continentiae, antemurale patientiae. Surgit autem hoc corpus a fundamento fidei, et crescit per dilectionem proximii usque ad charitatem Dei, quae est in superiori tabulatu, et in propugnaculis eiusdem muri: quia nimirum tunc perfecta est virtus continentiae, quando in unitate fidei cum proximis communitate viventes, non supplicii metu, nec humanae laudis appetitu, sed solo deiini amoris obtentu, a peccatis non continemus; haec ille.*

D. Anselmus (serm. de assumpt.): *Quid, inquit, ad gloriam Dei Genitricis lectio ista perlineat, ut in festivitate eius legatur, ad laudem eiusdem Virginis, et matris Iesu, humiliter aggredior scribere. Licet ergo castellum alias malum significet, ut illud, de quo dicitur: *Ite in castellum, quod contra vos est; tamen hoc castellum, in quo intravit Iesus, singularem, intemeratam Virginem eiusdem Iesu genitricem, per similitudinem accipimus. Castellum enim dicitur quaelibet turris, et murus in circuiitu eius, quae duo sese invicem defendunt, ita ut hostes per murum ab arce, et a muro per arcem arceantur. Huiusmodi ergo castello non in-**

congrue *Virgo Maria assimilatur, quam virginitas mentis, et corporis quasi murus ita undique vallavit, ut nullas unquam libidinis ad eam esset accessus, nec sensus eius aliqua corrumperetur illecebra. Et quia virginitatem, cum libido non possit, solet impugnare superbia, est in eadem Virgine turris humilitatis, quae a muro virginitatis omnem repellit superbiam. Et quia humilitatem, cum superbia non possit, solet impugnare libido, murus virginitatis a turris humilitatis omnem repellit libidinem. Itaque haec duo, murus videlicet virginitatis, et turris humilitatis ab alterutro ita munitur, ut nunquam in humili Virgine fuerit, nec superbia virginitas, nec inquinata humilitas. Singulare castellum fuit *Virgo Maria*: quaevis enim et multae aliae marum virginitatis habent, et turrim humilitatis, idest, et humiles sint, et virgines; tamen, et salca virginitate matres esse non possunt, neque filios generare, quod dicta sola fecit: ideo castellum hoc merito quoddam, idest singulare dicitur, quia ista singulariter, et mater, et virgo, quod nulla alia esse potuit, vel poterit, esse meruit. Verum concedamus, aliquam et matrem esse, et virginem, quaevis per naturam sit impossibile, etiam sic *Virgo Maria singularis erit, quia unicum Dei filium genuit, qui sicut est unus unico Patri, ita et unicus unicae matri; et ideo etiamsi virgo pariat, nulla vel eundem, vel talem generabit filium. Est ergo castellum quoddam, in quod intravit Iesus; porta vero, per quam intravit, idest fides: quia enim creditur, perfecta sunt a Domino quae et ab angelo dicta sunt, sicut ait ad eam *Elisabeth*. Nec quia Iesus intravit, castellum hoc violatum est: Iesus enim saepe, non violat: confraeta solidat, non confringit solida, secundum enim nomen eius, ita et opus eius; haecenus d. Anselmus.**

Summus Pontifex Innocentius III. (serm. 1. de assumpt.) versans haec verba: *Intravit Iesus in quoddam castellum, postquam dixerat mystice loquens: Castellum illud quod intravit Iesus est Virgo Maria, quando Verbum caro factum est, quae, quomodo verificetur, quod vere intraverit in uterum Virginis: Nam, inquit, secundum divinam naturam non intravit, cum intus iam esset propter suam immensitatem; quod autem intrat, de foris venit: non ergo intravit inquantum Deus. Non etiam intravit secundum naturam humanam: nec enim Virgo quippiam ab extrinseco agente in utero suo recepit, sed concepit interius ex Spiritu sancto virgo manens: non ergo intravit in eam in quantum homo; respondet, quod cum secundum philosophos, initium existendi ingressus in substantiam appelleretur, quaecumque res habet initium, habet pariter ingressum. Unde cum Verbum Dei secundum humanitatem assumptum incooperit esse in utero virginis, profecto secundum eandem intravit in illum, non de foris veniens, sed intus assumens.*

Ad haec, ut expendamus verbum illud: *Intravit Iesus*, observa frequens esse in sacris litteris, dicere Deum intrare, cum praeraculum aliquod opus paraturus est. Intravit Dominus in civitatem templum purgaturus: intravit in convivium, ut hominem veste nuptiali non

vestitum a convivio excluderet. Sic nunc intrat in castellum *Marthae*, ut supremo suo magisterio, vitam activam, et contemplativam approbaret, et hanc illi praerferret. Arbitror autem, non vocatum intrasse, et satis indicat Evangelista, in inde intelligamus, tantam esse divinae misericordiae magnitudinem, ut nullis nostris praecedentibus meritis nos adiuvare dignetur. Unde Apostolus ait, faceret dilexisset; antequam quidquam boni faceret; et (1. Regum 19) legitur, Saulem quaerentem asinas in regem elegisse, et Davidem pascentem oves ad culmen regiae dignitatis exivisse.

Tandem, licet obiter id dicam, cum de Christo dicitur, quod ambulabat per castella, et d. Lucas testetur in praesenti Evangelio, quod *Iesus intravit in quoddam castellum*, ubi praecleara vilae documenta Mariae, et *Marthae* praebuit, volens prius eas pascere, quam ab eis pauperes, exemplum non contemendum divini verbi praecognitionibus proponitur, ne dedignantur, ad oppidula, seu castella, quod idem est, ad praedicandum Iesu Christi Evangelium divertere. Quemadmodum enim Christus Dominus pro divitiis, et pauperibus, pro despectis, et honoratissimis hominibus non solum verbum, sed et sanguinem suum fudit; ita concionatores spiritum Christi habentes, non solum in optentissimis civitatibus, ubi principes, et magistratus, ac magis nobilium caetera habitat, sed in pauperissimis oppidulis, ubi nonnulli egeni, et rustici commorantur, verbum divinum disseminant, fidelium animabus prodesse magis, quam populi auram venari satagentes.

§. II.

MULIER QUAE DAM MARTHA NOMINE EXCEPIT ILLUM IN DOMUM SUAM, ET ILLIC ERAT SOROR NOMINE MARIA.

Divus Bernardus reddens rationem (serm. 2. de assumpt.), quare hic *Lazarus* non nominetur, sed solum utraque soror eius? respondet in haec verba: *Intrat domum Salvator, quam Lazarus mundat, ornat Martha, et Maria replet internae dedita contemplationi. Sed forte curiosus quisquam requiret, cur in praesenti evangelica lectione nulla prorsus Lazari mentio fiat? arbitror sane, ne id quidem a proposita similitudine dissideret. Virginitatem etenim domum ingredi volens Spiritus, sicut non incongrue potentiam, quae malum atque comminatur: absit enim ut proprii quicquam inquinamenti domus haec aliquid Lazarus habuisse dicitur, ut in ea proinde scopis Lazari quaereretur; haec divus Bernardus, mystice, et spiritualiter respondens. Sed secundum literallem, et historicum sensum puto, Lazari mentionem non factam ab Evangelista, quia tunc ibi non aderat ille, quando Christus divertit. Etenim si adfuisset, minime eum Evangelista praerterisset; nam et ille aliquid in Christi subsidium fecisset, nec Martha se solum in ministerio derelictam quaereretur, aut certe non de sola sorore Maria, que-*